Viro doctissimo amplissimo

GEORGIO THEODORO AUGUSTO KRUEGER

Gymnasii Brunsvicensis Directori linguarum antiquarum disciplinarumque scholasticarum Professori philosophiae Doctori

Diem Mensis Novembris XIV

quo

Munus et officium magistri publici

suscepit

Post annos quinquaginta

Opera docendi et educandi utilissima transactos

Nunc anno p. Chr. n. MDCCCLXIII feliciter redeuntem

pio animo gratulantur

Gymnasii Blankenburgensis cum Ephoro Director et Collegae.

Insunt aliquot loci Horatiani praemissa metrici argumenti disputatiuncula.

Blankenburgi, Typis Kircheri, typographi aulici.

Ut mater juvenem, quem notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem spatio longius annuo
    Dulci distinet a domo,
Votis ominibusque et precibus vocat
Curvo nec faciem littore dimovet:

sic ego decennio diutius summo desiderio exspectavi atque votis ominibusque et precibus quasi advocavi et arcessivi illam rerum opportunitatem, quae, quum initio hujus anni scholastici interna nostri Gymnasii constitutio immutaretur, praeter alia munera mihi etiam hoc tradidit, ut carmina clarissimi illius Romanorum poetae, cujus sunt etiam illi *) versus, Horatii, primae classis discipulis interpretarer. Non quidem fluctibus maris ego et ventis procellosis, sed, quum per hos novem annos in tribus deinceps gymnasiis alia semper mihi essent docenda, tam multis variisque negotiis distinebar, ut ad ea studia, ex quibus animi recreatio et voluptas mihi contingerent, recolenda non daretur otium. Sic factum est, ut ne Horatii quidem carmina ita legere iisque delectari possem, ut cupiebam, quamvis non minore hujus poetae desiderio flagrarem, quam mater illa Horatiana, quae faciem curvo littore, ubi filium advenientem mox se esse conspecturam non solum sperat, sed etiam optat et avet. Quo amore ut incenderer, factum est opera, carissime **Auguste Krueger, Tua.**

Nam quum essem in classe gymnasii Brunsvicensis prima Tuus discipulus, Tu Horatii satiras epistolasque interpretans tantam mihi praebuisti delectationem et voluptatem, ut inde ab eo tempore usque ad hunc diem Horatii carmina explicare adolescentibus, qui in summa morum integritate magna essent scientiae cupiditate incensi, etiam praeceptoris sum-

*) Horatii carmina. IV. 5. 9.

mam voluptatem esse atque felicitatem semper sim arbitratus. Tu enim optime sciebas nostros, tuorum discipulorum, animos inflammare studio omnium earum rerum, quae erant bonae atque expetendae, quum ipse esses praeceptor ab omni parte absolutus et perfectus, qui, quod Quintilianus requirit in rhetorices praceptore, sumseras erga nos, Tuos discipulos, parentis animum ac succedere te in eorum locum existimabas, a quibus Tibi eramus traditi, qui vitia nec ipse habebas nec ferebas, cujus austeritas non erat tristis, nec dissoluta comitas, ita ut neque inde odium neque hinc contemptus oriri posset. Plurimus Tibi de honesto ac bono erat sermo; monuisti saepe, castigasti perquam raro. Minime eras iracundus, nec tamen eorum, quae emendanda erant, dissimulator, simplex in docendo patiens laboris et assiduus. Interrogantibus libenter respondebas, non interrogantes saepe percontabaris. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus nec effusus eras, ne aut taedium laboris procreares aut securitatem. In emendando quae corrigenda erant non acerbus minimeque contumeliosus, ne quem discipulorum a studendi proposito deterreres. Quotidie multa dicebas, quae audita Tui discipuli secum referrent, et licet satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditaret, tamen **viva Tua vox** quum ceterorum tum meum alebat ingenium, praesertim quum esses talis praeceptor, quem grato animo amarem et in parentis loco colerem atque vererer.

Quum autem etiam collegae mei, ceteri nostri gymnasii praeceptores, quamquam exceptis duobus non sunt Tui discipuli, optime quum fovendo tum ore et scriptis docendo Te de patriae re scholastica meruisse minime ignorarent et libellum Tibi ad illum diem rite celebrandum, quo ante hos quinquaginta annos munus praeceptoris publici suscepisti, a nostro collegio tradi quam maxime cupientes a me peterent, ut munus scribendi subirem, libentissime me quidem velle dixi, sed metuere, ne possem aliquid conficere, quod Tu libenter aut certe sine taedio legeres, praesertim quum ex longiore temporis spatio non satis otium studio suppeditare potuissem, ut quam rem ante hos tres annos disquirere incepi absolverem.

Attamen ut Tu voluntatem meam laudares et veniam mihi dares sperans fore, si novi nihil et de meis pauca tantum proferrem, collegis rogantibus obsequi et id argumentum libelli sumere constitui, quod maxime praesto erat et optime Tibi ostenderet, qua ratione in carminibus Horatii interpretandis verser, quibus, quum essent Tuae deliciae, Te quoque per magnam vitae partem singulare studium et permagnam operam dedisse non ignoro.

Equidem quum adhuc sim tiro, non est mirandum, mihi multa occurrere, de quibus certam aliquam sententiam proferre non audeo, quum viros eos doctissimos, qui Horatii carmina ediderunt, inter se valde dissentire videam. Velim igitur, quo nihil jucundius mihi et utilius visum est, Tuo judicio subjicere meam quamlibet sententiam de nonnullis priorum quarti libri odarum locis, in quibus assentiri novissimo editori Nauckio nullo modo possum, id quod Tibi molestum futurum esse non spero, quum Te, qui ipse editionem Horatii epistolarum satirarumque curasti, ne ea quidem, quae ad cetera ejus carmina pertinent, negligere esse solitum, sciam.

Nauckii editionem ante hoc ipsum tempus nondum cognoveram, neque enim librum ipsum oculis conspexeram, neque ejus recensionem quam dicunt legeram. Nunc autem quum discipulorum multi hoc libro uterentur, etiam mihi inspiciendus erat, singulorum carminum lectiones cum ceteris editionibus comparandae et explicationes singulae accurate ac diligenter examinandae et considerandae. Quod cum facerem, quamquam in plerisque rebus consentire me cum Nauckio intellexi, et multa me ex hoc libro didicisse confitendum mihi est, tamen nonnulla inesse inveni, quae probare non possem, de quibus jam paullo accuratius agere incipiam.

Saepius, velut ad libri quarti odae 2 versum 22, odae 4 v. 25, odae 6 v. 29, libri secundi odae 13 v. 28, Nauckius propter caesuram se aliter atque ceteros quum interpungere atque verba conjungere tum interpretari annotavit. Omnibus his quator locis caesurae nomine utitur, quamquam uno loco et quidem IV, 4, 25, ubi metrum est Alcaicum, illa incisio non est caesura nominanda, sed potius diaeresis.

A Nauckio igitur quum caesuram et diaeresim non discerni videamus, id quod, quamquam saepe fit, non est probandum, non alienum mihi videtur esse primum docere, quomodo diaeresis differat a caesura, quod in heroo versu facillime demonstrari potest.

Versus herous constat ex dactylo sexies iterato, sed ita, ut excepto quinto dactylo pro uno quoque spondeus poni possit et ut sextus sit catalectus.

Proprie igitur sextus pes debet esse trochaeus, quum autem utrum postrema syllaba sit longa an brevis nihil intersit, pro trochaeo esse potest spondeus. Jam si singula verba ita collocantur, ut hic numerus iis insit, finis singulorum verborum potest aut cum fine singulorum pedum concidere aut in medium pedem incidere; si illud est, incisio nominatur diaeresis, si hoc, caesura.

In dactylo potest esse ratio caesurae duplex: quod verbum in antecedente pede incipit, ejus verbi finis potest esse aut post primam syllabam longam sive arsim aut post priorem brevem sive in media thesi; prior, ubi syllaba ultima verbi habet accentum acutum, est caesura gravis vel fortis, quam nos nunc dicimus „Die männliche Cäsur,“ altera est caesura mollis vel debilis, quam nos dicimus „Die weibliche Cäsur.“ Caesurae igitur possunt esse duae in singulis hexametri pedibus exceptis duobus extremis. In primo pede caesura omnino non esse potest, quia nullus pes antecedit, in quo verbum illud, quod in primo pede finem habet, incipiat, ita ut una ex illis lineolis rectis caedi possit, quibus singuli versuum pedes includi possunt. Ultimus pes quum duas tantum syllabas habeat, unam tantum caesuram habere potest, cujus exemplum versum illum notum adsribam Horatii:

Parturi|unt || mon|tes, || nas|cetur | ridicu|lus || mus.

in quo praeterea duae insunt caesurae, post secundam et tertiam arsim.

Quamquam autem pes alius in alio versu habet incisionem, in omnibus fere hexametris altera ex duabus illis incisionibus tertii pedis inest, quae, ubi caesurae mentio fit, plerumque solae significantur et ideo caesurae principales nominantur, qualis est in illo versu caesura post vocabulum „montes.“

Diaereses in hexametro summum quinque esse possunt, singulae in fine singulorum pedum excepto pede sexto, ubi propter finem versus semper finis verbi sit necesse est. Exempli causa afferam duos versus Ennii:

Sparsis | hastis | longis | campus | splendet et | horret.
Disperge | hostes, | distrahe, | diduc, | divide, | differ.

Insunt autem plerumque pauciores, interdum omnino nulla, ut in Virg. Aen. L. I, v. 622:

Vasta|bat Cy|prum et vic|tor dici|one te|nebat,

qui versus quatuor habet caesuras.

Ex omnibus autem, quotquot esse possunt incisiones, Dracon quidam vetus grammaticus et metricus quinque elegit, quas certis nominibus notavit.*) Sunt autem hae: πενθημιμερής, ἑφθημιμερής, τρίτη τροχαϊκή, τετάρτη τροχαϊκὴ καὶ βουκολική. Quaram omnium una quaeque aut sola aut etiam simul cum alia aliqua in hexametro esse potest.

*) Dracon de metris poeticis in Leutsch Grdr. §. 72. nota pag. 37.

Sunt autem πενθημιμερής et τρίτη τροχαϊκή tertii pedis caesurae, ἑφθημιμερής et τετάρτη τροχαϊκή caesurae quarti pedis; βουκολική autem est diaeresis post quartum pedem.

A Dracone igitur et ipso caesura confunditur cum diaeresi, sed Aristides Quintilianus eas discernit, cujus sunt verba haec*): τομὴ δέ ἐστι μόριον μέτρου τὸ πρῶτον ἐν αὐτῷ λόγον ἀπαρτίζον, ὑπὲρ δύο πόδας εἰς ἀνόμοια μέρη διαιροῦν τὸ μέτρον· ἡ γὰρ εἰς ὅμοια μέρη διαίρεσις μᾶλλον ἢ τομὴ καλεῖται.

Qua in definitione Aristides maxime pentametrum videtur ante oculos habuisse, qui constat ex trimetro dactylico catalectico in syllabam bis iterato. Quum semper verbum desinere in prima syllaba tertii pedis necesse sit, haec incisio speciem quidem caesurae habet, sed tamen potius diaeresis nominanda est, quia a sequente syllaba, quae non jam ad pedem tertium pertinet, non solum novus pes, sed etiam novus ordo rhythmicus incipit, vel, ut Aristides dicit, haec incisio εἰς ὅμοια μέρη ἀπαρτίζει τὸ μέτρον.

Sunt enim post hanc syllabam inania duo tempora, quae si adduntur ad primam illam syllabam longam tertii pedis, spatium totius pedis explent, quo fit, ut pentameter poprie non sit versus quinque pedum, sed potius sex pedum, quia utraque pars dimidia duos pedes totos et dimidium pedis cum intervallo duorum temporum inanium habet, totus igitur versus quinque pedes cum quatuor temporibus inanibus, quae si conjunguntur spatium sexti pedis efficiunt.**)

Si definitionem Aristidis „τομή ἐστι μόριον μέτρου τὸ πρῶτον ὑπὲρ δύο πόδας“ ad hexametrum transferimus, veteres grammaticos, quae intra duos priores pedes possunt esse incisiones, non pro caesuris habuisse cognoscimus; quas notaverunt caesuras, eae omnes in tertio aut quarto pede sunt. Si autem incisio in fine tertii pedis est, qua versus in duas partes ternorum pedum dividitur, diaeresis est nominanda. (ἡ γὰρ εἰς ὅμοια μέρη διαίρεσις μᾶλλον ἢ τομὴ καλεῖται.)

Jam videamus, quo nomine eae, quae in strophis illis Horatianis sunt incisiones, appellandae sint, quibus Nauckius propriam aliquam vim attribuit.

In stropha Sapphica ter repetitur versus, cujus schema est hoc:

´– ⏑ – –, ´– ‖ ⏑⏑, ´– ⏑ – ⏓

*) Aristides Quintil. I. 52. cf. Leutsch Grdr. §. 72. pag. 37 nota.

**) Inane tempus esse in pentametro etiam Quintilianus vidit, qui institut. IX. 4. 98 dicit: „Est enim quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus ut in pentametri medio spondeo, qui nisi alterius verbi fine alterius initio constat versum non efficit“

constat igitur ex dactylo uno, qui ab utraque parte includitur dipodia trochaica. In carminibus veterum poetarum Graecorum non certo aliquo loco in hoc versu incisio observatur, sed apud Horatium semper est finis verbi post syllabam quintam, id est in arsi dactyli, quae jure caesura appellanda est; quartus strophae versus (Adonius) incisionem non habet.

Strophae Alcaicae schema est hoc:

1. u. 2. ⏑ –́ ⏑ – ⏓ || –́ ⏑⏑ – ⏑ –

3. ⏓ –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ – ⏓

4. –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ –́ ⏑ – ⏑

In primo versu bis posito apud Horatium semper est finis verbi post syllabam quintam ante longam dactyli, quae incisio nominanda est diaeresis, non enim in medio pede, sed in fine pedis finis est vocabuli; a sequente dactylo novus pes et novus ordo rhythmicus incipit.

Utrum pars prior primi et secundi versus et totus versus tertius habeantur pro trochaeis an iambis, quia parvi refert, liberum opinaturis relinquo. In tertio et quarto versu incisio certa semper observata non inest, quamquam saepius in quarto versu post syllabam quartam apud Horatium caesura est.

Quum autem Nauckius hanc incisionem priorum versuum strophae Alcaicae et ipsam (ad od. IV, 4, 25) appellaverit caesuram, illico sponte sequitur, ut, quam vim attribuat caesurae, eandem esse diaeresi necesse sit.

Permultum interesse, pluresne sint in versu caesurae an diaereses, quis est, quin statim sentiat, quum attente hunc versum legerit et quidem primum ita, ut poeta eum scripsit, tum verbis paullo aliter collocatis:

Illi in|ter se|se ma|gna vi | bracchia | tollunt.

Illic | inter | se vi | magna | bracchia | tollunt.

Qui versus quantopere hoc modo vitiatus et depravatus sit, nemo non facilius ipse legens sentiet quam scripto et verbis exprimi potest.

In priore versu, quem poeta scripsit, fere numquam ictus rhythmicus concidit cum naturali verbi accentu, exceptis duobus ultimis pedibus, ubi accentus naturalis et ictus rhythmicus in syllabis longis „brac“ et „tol“ concidunt; in omnibus prioribus discrepant et quasi inter se pugnant. In altero autem versu ictus rhythmicus semper cum naturali verborum accentu concidit, qua re efficitur, ut versus plane in orationem solutam transeat.

Praeterea autem eo quoque illi versus differunt, quod in posteriore singuli pedes singulis plerumque verbis efficiuntur, vel, ut Marii Victorini verbis utar, „per singulos pedes verba finiuntur,“ in priore autem a poeta

ita singula verba sunt collocata, ut syllabae misceantur et singulis verbis bini semper pedes contineantur. In posteriore versu quinque diaereses insunt, in priore duae tantum et tres caesurae; metrum posterius Marius Victorinus*) dicit esse indecens, prius autem decentissimum.

Ipse comparat hunc versum Ennii:

„Pythie, | Delie, | te colo, | prospice | votaque | firma.“

cum hoc Virgiliano:

„At re|gina gra|vi jam|dudum | saucia | cura | .“

Marius Victorinus causam videtur perspexisse, addit enim: „adaeque observatur, ne tertius pes verbum finiat versumque a se diducat, ut est hic versus Ennii:

„Poeni | pervor|tentes || omnia | circum|cursant.“

et hic Virgilii:

„Cui non | dictus Hy||las puer, | et La|tonia | Delos.“

Ubi igitur diaeresis est, diducitur alter pes ab altero, ubi autem caesura, continentur pedes eo vocabulo, cujus syllabae priores ad pedem antecedentem, posteriores ad sequentem pertinent. Quo plures igitur sunt caesurae, eo arctius omnia verba, quae unum versum efficiunt inter se cohaerent; quo plures diaereres, eo minus continentur, et eo majus periculum est, ne singula verba dilabantur, praesertim si, quod cum diaerese conjunctum esse solet, nimis multa verba accentum naturalem et ictum rhythmicum in una eademque syllaba habeant.

Ut versus sint boni et auribus mentique suaves, caesurae et diaereses recto temperamento mixtae esse debent, non autem semper una eademque lege, sed vario modo, ne versus semper sibi similes omnes una ratione decurrant.

Ex omnibus autem incisionibus, quae cogitari possunt, in singulis versuum generibus paucae tantum ita a poetis usurpatae sunt, ut in omnibus versibus eodem semper loco inveniantur observatae. Quas supra jam nominavi incisiones, iis antiqui poetae Graeci in iis tantum versibus usi sunt, qui erant longiores, quam ut uno spiritu pronuntiari commode possent, quales sunt hexameter heroicus, trimeter iambicus, tetrameter trochaicus, non in brevioribus illis versibus stropharum Sapphicarum et Alcaicarum, et quibus usus est Pindarus et poetae tragici. Inerant sane etiam in his, quia aliter fieri non potuit, incisiones aliquae, ubi spiritus recipi posset,

---

*) Mar. Vict. II, 2, 13, p. 2516 P, in Leutsch Grdr. §. 101 nota p. 106.

sed non in omnibus ejusdem generis versibus eaedem in uno eodemque certo loco. Saepe hi versus longiores ex pluribus ordinibus erant compositi, ut hexameter heroicus et tetrameter trochaicus; trimeter iambicus quidem propter magnitudinem unus ordo esse potest, potest tamen etiam ita considerari, ut e tribus dipodiis iambicis sit compositus.

Jam ne singuli talium versuum ordines diducerentur, a poetis ita verba collocando erant, ut unum idemque vocabulum ad duos ordines simul pertineret et ex priore in posteriorem transgrederetur. Quod si est, hoc vocabulum plerumque desinit in arsi sequentis ordinis ibique caesuram efficit, quae, ut per se patet, majoris momenti esse debet, quam quae sunt caesurae in fine eorum verborum, quibus singuli tantum pedes unius ejusdemque ordinis continentur. Hae sunt illae caesurae principales: *πενθημιμερής, κατὰ τρίτον τροχαῖον ἑφθημιμερής, κατὰ τέταρτον τροχαῖον*, quae, quum totus versus uno spiritu non bene possit pronuntiari, et ipsae in medio fere versu sint, occasionem praebent ad spiritum recipiendum quam maxime idoneam. Spiritu sumto et voce intervallo silendi confirmata clarius et firmioribus quasi lateribus quae sequuntur eloqui possumus, quae est causa, cur poetae proxime post hanc incisionem id vocabulum ponere sint soliti, ad quod, quum totius sententiae sit caput, ipso majore sono aures et animos audientium magis convertere voluerunt.

Quum autem sic in medio fere versu semper moram quamvis saepe minimam fieri necesse sit, jam vinculo opus erat ad cavendum, ne versus in has duas partes incisione principali sejunctas distraheretur.

Si est principalis illa incisio caesura vinculum aliquod jam in ipso metro est, quia tum prima syllaba novi ordinis vel ejus pedis, in quo est caesura, ultima ejus vocabuli est, quod est prioris ordinis postremum ante caesuram. Si autem est diaeresis, ut in pentametro et in prioribus strophae Alcaicae versibus, ubi hoc vinculum metricum plane deest, sensu poetae singulas versus partes conjungere student. Plerumque in priore versus parte non absoluta est sententia; saepe ne membrum quidam vel incisum periodi terminatur, quin etiam interdum ne in toto quidem versu. Quod sensus vinculum ut vel majus et arctius sit, collocatione verborum efficiunt.

Solent enim poetae praecipue in iis versibus, in quibus diaeresis est, sed etiam, ubi caesura, singula verba mirum in modum inter se conserere et implicare, et quidam ita, ut e duobus verbis sententia arctissime conjunctis alterum in priore alterum in posteriore versus parte legatur, et incisio principalis inter ea sit media. Sunt autem imprimis nomina sub-

stantiva et eorum apposita, praepositiones et casus obliqui inde pendentes, verba et eorum casus obliqui, genitivi et alius casus alicujus substantivi, unde pendet genitivus, et quae sunt similia, cujus rei quamvis notae pauca tamen afferam exempla.

1) diaeresis. α. pentametri.

Tib, I, 1, 6. dum *meus assiduo* || luceat *igne focus.*

Tib. II, 1, 40. *exiguam viridi* || *fronde* operire *domum.*

Prop. I, 8, 30. destitit ire *novas,* || Cynthia nostra, *vias.*

Prop. I, 18, 16, *lumina dejectis* || *turpia* sint *lacrimis.*

β. versus Asclepiadei, quorum schema est hoc:

×— –́ ◡◡ — || –́ ◡◡ — ◡ —

in quibus ab Horatio incisio principalis semper observata est in fine prioris choriambi, quem equidem potius dimetrum dactylicum catalecticum in syllabam esse puto; quae sequitur syllaba longa intervallo duorum temporum inanium interjecto novum ordinem incipit, qua de causa illa incisio est diaeresis. Exempla proferam ex Horatii quarti libri odarum carmine primo:

v. 8. quo *blandae* juvenum || te revocant *preces.*

v. 10. Paulli *purpureis* || ales *oloribus.*

v. 12. si torrere *jecur* || quaeris *idoneum.*

v. 14. et pro *sollicitis* || non tacitus *reis.*

v. 18. *largi* muneribus || riserit *aemuli.*

γ. versus strophae Alcaicae, quos ex Horatii odarum libri quarti carmine quarto sumam:

v. 41. qui primus *alma* || risit *adorea,*

v. 42. *dirus* per *urbes* || *Afer* ut *Italas.*

v. 45. post hoc *secundis* || usque *laboribus.*

v. 50. cervi *luporum* || praeda *rapacium.*

v. 53. *gens* quae *cremata* || *fortis* ab *Ilio*

v. 54. *jactata Tuscis* || *aequoribus sacra.*

v. 57. *duris* ut *ilex* || *tonsa bipennibus*

v. 58. *nigrae feraci* || *frondis* in *Algido.*

v. 60. non *hydra secto* || *corpore firmior*

v. 61. vinci *dolentem* || crevit in *Herculem.*

2) caesura, α. hexametri.

Horatii epistol. I. 3:

v. 1. Juli Flore, *quibus* || terrarum militet *oris*

Claudius Augusti || *privignus,* scire laboro.

Thracane vos *Hebrus*que || nivali compede *vinctus*
An *freta vicinas* || inter *currentia turres*
An *pingues* Asiae || *campi colles*que morantur?

Virgilii Aeneidis L. VII, v. 8:

Adspirant aurae *in* || *noctem*, nec candida cursus
Luna negat; || *splendet* | *tremulo* || sub *lumine pontus*.

β. versus strophae Sapphicae ex Horatii odarum libri quarti carmine quinto

v. 3. matur*um* redit*um* || *pollicitus* patrum
v. 5. lucem redde *tuae*, || dux bone, *patriae*.
v. 10. flatu *Carpathii* || trans *maris* aequora
v. 11. cunctantem *spatio* || longius *annuo*.
v. 14. *curvo* nec faci*em* || *littore dimovet*:
v. 15. sic *desideriis* || icta *fidelibus*.
v. 22. mos et lex *maculosum* || edomuit *nefas*,
v. 23. *laudantur simili* || *prole* puerper*ae*.

Haec sufficiant ad docendum, quantopere poetae studuerint ordines vel partes singulorum versuum non solum internis sententiae vinculis, sed etiam externis (collocatione verborum) arctius inter se conjungere.

Singulis totis versibus in longioribus quidem carminibus perraro singulae sententiae continentur absolutae, sed plerumque periodus per plures versus continuos extenditur. Ita est in carminibus, quae ex solis hexametris constant, ita in iis, quae ex distichis et ex strophis sunt composita. Quin etiam saepe fit, ut ne in strophae quidem fine sit finis periodi. Sensus igitur iterum est vinculum, quo singuli versus, vel etiam distichi et strophae continentur; singulorum vocabulorum syllabis et rhythmo, ut erat in fine singulorum pedum et ordinum rhythmicorum, fieri non potuit, quum necesse esset, ut in fine versuum esset finis vocabulorum et rhythmi.

Accedit autem hoc quoque loco alterum vinculum, dico collocationem verborum. Saepe enim etiam in binis diversis versibus verba sensu arctissime iuncta ita collocantur, ut alterum in priore legatur versu, alterum in posteriore, simili ratione, atque factum esse jam demonstravi in binis singulorum versuum partibus incisione principali separatis. Cujus rei jam pauca afferam exempla.

Virgilii Aeneidis L. VII,

v. 6. . . . . . . postquam *alta* quierunt
Aequora . . . . || . . . .

v. 8. . . . . nec *candida* cursus
Luna negat . . . .
Horatii odar. libr. IV, carm. 5,
v. 9. . . . . quem notus *invido*
Flatu . . . . distinet.
v. 15. Sic desideriis *icta* fidelibus
Quaerit *patria* Caesarem.
v. 26. . . . . Germania *quos* horrida parturit
Fetus . . . . quis *ferae*
Bellum curet *Hiberiae.*
v. 33. . . . . te prosequitur *mero*
Defuso pateris, et laribus *tuum*
Miscet *numen* . . . .
Horatii odar. libr. IV, carm. 4,
v. 66. . . . . . . *multa* proruit *integrum*
Cum *laude victorem* . . . . .
v. 51. . . . . *quos opimus*
Fallere et *effugere* est *triumphus.*

Plura hujus rei exempla quivis poetarum carmina legens facile inveniet. Quae attuli sufficere mihi videntur ad demonstrandum, poetas, ubi sententia ex uno versu in alterum sequentem transit, etiam hac artificiosa verborum collocatione hos versus arctius inter se connectere studuisse. —

Quo tandem loco periodos claudere licet, vel quo loco oratio ea interpunctionis nota, quam nos dicimus punctum, distinguenda est? Equidem respondendum esse arbitror, in quolibet loco versus vel strophae fieri id posse, etsi fines periodorum saepius in finibus versuum et stropharum esse quam alio loco concedendum est. Ubi enim periodus terminatur, poscit naturale intervallum, quo a sequentibus dividatur. Tale intervallum silentii in fine versus minus rhythmum turbat, quam in medio versu.

Est tamen apud omnes poetas satis magna copia exemplorum, in quibus punctum in medio versu positum est, praesertim tum, quum hac interpungendi nota non totae periodi, sed partes tantum vel membra (κῶλα) sejunguntur. Saepe singuli versus ita inter se cohaerent, ut quod membrum in priore versu incipit, semper in sequentem producatur, ubi priore absoluto alterum incipit membrum, cujus finis in tertium vel quartum incidit versum, et similiter in iis, qui sequuntur, versibus.

Exempli causa afferam Virgilii Aeneid. L. VII, v. 29:

Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno,
Verticibus rapidis, et multa flavus arena,
In mare prorumpit. Variae . . . . et q. s.

ibidem v. 41. et sqq.

Horatii epist. I, 17, 13.

„Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus.“ „Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat.“ Utrius horum
Verba probes et facta, doce, vel junior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia. Namque . . .

et saepius in iis, qui sequuntur, versibus.

Horatii carm. I, 34,

v. 3. . . . ., nunc retrorsum
Vela dare atque iterare cursus
(finis strophae I.)

v. 5. Cogor relictos, namque et q. s.

v. 10. Quo Styx et invisi horrida Taenari
Sedes Atlanteusque finis
Concutitur. Valet . . . . . et q. s.

Neque cetera interpunctionis signa in certis quibusdam locis inveniuntur saepius quam in reliquis. In Horatii epistolarum libri I, epistola 13., quae est 19 versuum, signum aliquod interpunctionis positum est

in primo pede semel: v. 19.
in fine primi pedis bis: v. 17. 18.
in secundo pede bis: v. 3. 19.
in fine secundi pedis semel: v. 19.
in tertio pede (post arsim) ter: v. 5. 7. 16.
in fine tertii pedis semel: v. 7.
in quarto pede quinquies: v. 3. 4. 8. 12. 13.
in fine quarti pedis semel: v. 10.
in quinto pede omnino non.
in fine quinti pedis bis: v. 2. 10.
in sexto pede non, sed quatuordecies in fine versus.

Apparet igitur, non studuisse Horatium sententiam ita corformatam eloqui, ut major incisio sententiae concideret cum caesura tertii pedis, ita ut hoc loco interpunctione opus esset. Si adest, caesurae major est

vis, quia mora silendi major fit; sed non semper poetarum interest, ut caesura tantam vim habeat; etiam contrarium bene se habere potest.

In omnibus Horatii carminibus tantum abesse mihi videtur, ut poeta studio id egerit, ut sententia in loco incisionis principalis claudatur, ut talia verba in ejus utraque parte collocaverit quae, distinctione separari omnino non possint; quo fit, ut saepe proxime aut ante illam incisionem aut post eam interpunctionis nota occurrat. Ex multis exemplis pauca tantum afferam.

Horatii odar. IV, 4,

v. 37. Quid debeas, o || Roma, Neronibus
v. 22. Nec scire fas est || omnia, sed diu
v. 46. Romana pubes || crevit, et impio
v. 66. Luctere, *multa* || proruit *integrum*
Cum *laude victorem* . . . .
IV, 2. 45. Tum meae, si quid || loquar audiendum,
Vocis accedet || bona pars, et „*O sol*
Pulcher, o laudande! || canam, et q. s.

Quamquam hac in re minime nego posse fieri, ut in ipsa illa incisione principali periodus vel membrum periodi finem habeat; studium autem et operam poetam in hac re posuisse nego.

Jam quum hanc quasi legem poetis antiquis fuisse mihi videar demonstravisse, *ut, ubicumque naturali quodam intervallo periculum esset, ne partes unius versus vel etiam complures toti versus a se diducerentur, quibuscumque rebus possent singulas partes conjungere et vinculis quasi connectere studuerint, et quidem singulos pedes singulis unius ejusdem verbi syllabis, id est singulorum pedum caesuris, illas autem versuum partes, in quas caesura principali dividuntur, et eodem modo hac ipsa caesura et ut totos versus deinceps sese excipientes quum sensu singulorum periodi membrorum et totius periodi tum artificiosa illa verborum collocatione, qua verba ex grammatices legibus arcte conjungenda ita collocantur, ut aut principali illa incisione aut fine versuum distineantur*: revertendum mihi est eo, unde egressus sum, dico ad eos Horatii locos, in quibus Nauckius „caesura flagitante“ aliter se atque ceteros verba conjungere et interpretari dicit, ut cognoscamus, quam vim caesurae tribuat, quam eandem diaeresi esse necesse est, quum et hanc caesuram appellet.

Inspiciamus, quae ad illos locos, quos supra jam commemoravi, annotaverit.

Ad od. IV, 2, 21: Flebili sponsae juvenemve raptum
Plorat et vires animumque moresque —

„vires ziehe ich nach Massgabe des Sinnes wie der Cäsur zum Vorhergehenden. Es bildet mit juvenem ein sogenanntes Hendiadyoin.“

Ceteri editores comma, quod est apud Nauckium post *„vires“* (in caesurae loco) post *„plorat“* habent. Caesuram flagitare censet, (de sententia infra dicemus), ut vocabulum *„vires“* referatur ad verba antecedentia, ut in loco caesurae membrum desinat, neve pars sequentis membri ante caesuram pars post eam legatur.

Ad od. IV, 4, 25: Sensere, quid mens, rite quid indoles
Nutrita . . . . posset,

legimus: *„Die gewöhnliche Interpunction, quid mens rite, quid indoles ist gegen die Cäsur“* (habemus autem hoc loco diaeresim, non caesuram) *„und ausserdem ſinnlos. So wird auch Epist. I,* 12, 18 *flagitante caesura zu lesen sein: quid premat obscurum, lunae quid proferat orbem,“* ubi vulgo legitur: „quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem.“

Ad od. IV, 6, 29: Spiritum Phoebus, mihi Phoebus artem... et q. s. est annotatum: *„Durch die cäsurwidrige Interpunction Phoebus mihi, Phoebus wird die ganze Schönheit und Bedeutsamkeit der Stelle vernichtet.“*

Ad od. II, 13, 28: Vidimus . . . . te . . . . sonantem,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae, mala dura belli.

est in annotationibus: *„Bei der cäſurwidrigen Interpunction hinter mala schleppt dura belli unerträglich nach.“*

In omnibus his locis Nauckius in loco principalis incisionis, quae est semper caesura excepto illo uno loco in odarum libri quarti carmine quarto, ubi est diaeresis, commate interpungendum esse censet, ne, quod verbum proxime post caesuram sequitur, ad antecedentia referri possit, sed ut cogamur, quae incisione illa divisa sunt verba, etiam cogitatione separare et distinere. Quae sententia plane est contraria ei, quam supra ex rei natura et allatis poetarum exemplis veram esse studui demonstrare. Mihi enim persuasum est, in omnibus illis locis, ubi caesuram id flagitare, quod posuerit, Nauckius dicit, eam aut omnino nihil flagitare aut plane contrarium, nam tantum abesse mihi videtur, ut incisio illa principalis verba in diversis ejus partibus collocata conjungere nos vetet, ut poetas, quantum fieri potuerit, putem verba ita inter se miscere studuisse, ut iis, quae in priore parte essent, jam exspectatio concitaretur eorum, quaein posteriore

parte ejusdem versus vel etiam in sequente versu legerentur. Quod si verum est, saepissime verba in diversis caesurae vel diaereseos partibus vel etiam in duobus versibus sese excipientibus collocata nobis conjungenda erunt.

Restat, ut videamus, quid in illis locis postulet sententia et poetae verborum collocandorum usus atque consuetudo.

Od. II, 13, 28: . . . . vidimus querentem
Sappho puellis de popularibus
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.

Sententia aperta est neque mutatur mutato commatis loco; substantivum „*mala*“ pertinet et ad „*dura navis*“ et ad „*dura fugae*“ et ad „*dura belli,*“ sed satis erat semel positum.

Jam quaestio oritur, utrum cum Nauckio referendum sit ad verba sequentia „*dura belli,*“ an cum ceteris editoribus ad antecedentia „*dura fugae.*“ Equidem duabus causis moveor, ut contra Nauckii legem commate post „*mala*“ posito hoc substantivum referendum esse ad antecedentia „*dura fugae*“ censeam, et supplendum ad cetera membra; prior causa est illa verborum collocatio, qua vox „*fugae*“ media posita est inter adjectivum „dura“ et substantivum „mala,“ cui accedit illud poetae studium, verba grammatica structura arctissime conjuncta in diversas caesurae partes collocandi. (cf. pag. 11). Altera causa consistit in ea anaphorae forma, qua Horatius uti solet. Illud enim vocabulum, quod ut ejus vim augeat, Horatius repetit, in multo pluribus locis ita collocavit, ut novum membrum incipiat, cujus rei sexcenta possem afferre exempla, quorum pauca, quae prima mihi occurrunt, jam adscribam:

od. IV, 1, v. 29: Me nec femina, nec puer
Jam, nec spes animi credula mutui
Nec certare juvat mero
Nec vincire novis tempora floribus.
v. 38. Jam captum teneo, jam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi, *te* per aquas, dure, volubiles.

Conferas praeterea vv. 21, 25, ubi „illic“ bis repetitur,
vv. 33, 34, ubi cur ter repetitur.

Od. IV, 14, 41. Te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes
Miratur, ...

v. 45: Te, fontium qui celat origines
Nilusque et Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,
et q. seq.

Similiter in od. IV, 5, v. 33. „Te“ ter repetitur,
v. 37. „dicimus“ bis,
od. IV, 6, v. 37. „rite“ bis,
in carmin. saecul. v. 53 sq. „jam“ ter,
in od. IV, 15, 17. „non“ sexies.

Quae exempla qui attente legerit, neminem fore puto, quin dicat, etiam hoc loco legendum esse „dura fugae mala, dura belli“ ita ut adjectivum „*dura*“ semper primum locum teneat novi membri, quod ex Nauckii interpunctione aliter sese habet. Quod autem Nauckius censet, si aliter, ac ipse vellet, comma poneretur, verba „*dura belli*“ nimis esse a ceteris distracta et disjuncta, equidem hoc non sentio, praesertim quum in hac interpunctione duae illae versus partes ipsa caesura contineanter. Arctius quidem conjuncta essent verba, si incisiones metricae in hac posteriore versus parte non ambae essent diaereses, sed altera certe caesura, ut est in hujus carminis

versu 36: „Eumeni|dum || recre|antur | angues.

Sed in versu 32; „Densum hume|ris || bibit | aure | vulgus.“

eadem est ratio atque in eo, de quo est quaestio,

„Dura fu|gae || mala, | dura | belli.“

Similiter autem parva membra, a ceteris interpunctione sejuncta, saepius inveniuntur in fine periodorum. Exempli causa afferam carminis saecularis versum 55:

„Jam Scythae responsa petunt, superbi
Nuper, et Indi.“

et epodon libri carmin. 7, v. 11:

„Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Numquam, nisi in dispar, feris.“

et od. L. IV, carm. 3, v. 24: „Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.“ in quibus omnibus locis Nauckio offensionem similis interpungendi ratio non praebuit.

Sed jam inspiciendi et examinandi sunt loci ii, quos Nauckius ad tuendam suam interpunctionem commemoravit: od. I, 21, 8. II, 19, 28. III, 4, 27.

et Goethii versum: „*Mir sollt er um die köstlichsten Gewänder,*
Nicht feil um einen Königsmantel sein.“
quem non bene cum Horatiano comparari posse arbitror.

Si Goethius voluisset aliter scribere:

„*Mir sollt er um die köstlichsten Gewänder,*
Um einen Königsmantel feil nicht sein.“

pessima κακοφωνία in extrema versus parte exstitisset, et verba „*feil nicht sein.*“ plane jejuna et languida essent.

Neque Goethius voluisse mihi videtur illo loco anaphora uti; si voluisset, aliud verbum majoris soni quam illud „*um*“ iteraturum eum fuisse credo.

Comma autem a Goethio aliter poni non potuit, quia etiam in oratione soluta haec verba eodem modo interpungenda erant: „*Er (der Zaubermantel) ist mir um die köstlichsten Gewänder, um einen Königsmantel nicht feil.*“ —

Locus autem odarum I, 21, 8:

„Vos laetam fluviis et nemorum comam,
Quaecunque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi,
Silvis aut viridis Cragi:“

ipse talis est, de quo disputari possit.

Ceteri enim editores non in fine tertii versus, sed aut in initio quarti post vocem „silvis“ commate aut omnino non interpungunt, quod equidem comprobo.

Nauckii nota haec est: „*Das Komma ist nicht hinter silvis, sondern hinter Erymanthi zu setzen, nach Massgabe des Verses und einer poetischen Verschiebung, welche einerseits durch die Abwechslung ergötzt, andererseits dazu dient, die Rede symmetrisch zu machen. Genau so und dabei nicht misszuverstehen, Ov. Met. III, 218: et niveis Leucon, et villis Asbolos atris.*“

Sed Ovidii versus tum demum cum Horatiano comparari posset, si scriptum esset:

„*et niveis Leucon villis et Asbolon atris.*“

quod quidem metri causa fieri nequit; tum autem certe etiam Ovidius comma post vocem „villis“ posuisset.

Quae Nauckius supra dixit de poetica loci pulchritudine, ea omnia etiam in ceterorum editorum distinguendi ratione recte sese habent, neque alia re Nauckius ad suam rationem perductus esse videtur, nisi illa

opinione, interpungendum esse ut in loco caesurae ita in fine versuum, quam opinionem falsam esse supra docere studui. Commate post vocem „*silvis*“ posito primum hi duo versus arctissime eo conjunguntur, quod „*nigris*“ — „*silvis*“ non in eodem versu leguntur, et tum etiam anaphora „*aut*“ — „*aut*“ clarius apparet. Hoc igitur loco Nauckius ad id quod voluit demonstrandum non bene usus est. —

In altero loco Hor. od. III, 4, 27:

Non me Philippis versa acies retro,
Devota *non* exstinxit arbos
Nec Sicula Palinurus unda.

Horatius non videtur voluisse anaphora uti, quia tertio loco non scripsit: „non Sicula . . . .,“ sed: „nec Sicula . . . .“

Et quid tertius locus Hor. od. II, 19, 28:

. . . . „sed idem
Pacis eras mediusque belli.“

sibi velit, equidem non intelligo.

Nauckii igitur interpunctio illorum locorum od. II, 13, 28. et od. I, 21, 8. neque si metricas causas respicimus, comprobanda mihi esse videtur, neque si sententiam; sed cum ceteris editoribus faciendum esse mihi persuasum est.

Transeo jam ad alterum locum od. IV, 2, 22:

Flebili sponsae juvenemve raptum
Plorat et vires animumque moresque
Aureos educit in astra nigroque
Invidet Orco.

Quaeritur, quo loco commate interpungendum sit, utrum post verbum „*plorat*“ an post „*vires*;“ vel unde pendeat accusativus „*vires*,“ utrum a verbo „*plorat*,“ an a „*educit*.“

Quam metricam causam affert Nauckius, eam nullam esse jam vidimus.

Nauckius arcte conjungenda esse verba „*juvenem raptum*“ et „*vires*“ censet, ut sit hendiadyoin quod dicitur significans νέον ἡβώοντα, quae verba hoc loco ita posse accipi vix crediderim. Si nihil scriptum esset, nisi: „*sive juvenem et vires plorat*,“ nemo non haec verba ita intelligi posse concederet, ut significarent, deplorat νέον ἡβώοντα; sed quum substantivum „*juvenem*“ jam sit conjunctum cum participio „*raptum*“ mihi persuadere non possum, haec verba, quod dicitur hendiadyoin, posse esse, quum ne cogitari quidem possit: „*plorat juvenem raptum et vires raptas*.“

Accedit quod, ut mihi quidem videtur, verba illa tria: *„plorat, educit, invidet"* ita inter se copulata sunt, ut in duas quasi partes distribuantur particula *„et"* inter se copulatas, quarum partium posterior habet duo verba copulata particula *„que"* hoc modo: *„plorat — et educit — invidetque,"* quia posteriora duo arctius inter se cohaerent, et quidem ita, ut sit quasi: *„plorans educit invidetque."*

Primum enim verbum *„plorat"* nihil nisi novum genus carminum Pindari indicat, reliqua duo de argumento horum carminum nos docent: *„In θρήνοις educit vires animumque moresque in astra invidetque nigro Orco."*

Nexus enim sententiarum est hic: Pindarus semper Apollinari laurea donandus est, sive Dithyrambos canit, sive Paeanes, sive Epinicia, sive Epitaphia, quod postremum genus ita exprimit, ut dicat, sive carmen facit, in quo praematuram juvenis mortem deplorat. Genere sic satis indicato poeta ad argumentum singuli carminis accuratius describendum transit, qua in re necesse esse, ut omnes juvenis mortui et corporis et animi virtutes praedicentur, sponte apparet. Prius vocabulum *„vires,"* quod jam Zeunio placuit, positum esse videtur, ut robur corporis significetur; posteriora duo *„animum et mores,"* ut virtutes animi indicentur, fortitudo et morum integritas, quae omnia omnibus effert laudibus et ita ab oblivione vindicat. Si vocem *„vires"* conjungimus cum antecedentibus, ubi haec notio sine damno deesse potest, corporis virtutum mentio in explicandis juvenis laudibus aegre desideratur.

Sensus igitur melior mihi esse videtur, si cum prioribus editoribus commate post verbum *„plorat"* posito, quae sequuntur verba *„et vires"* ad sequentia referimus, quod mea quidem sententia etiam ex metrica ratione praestare supra jam exposui, quia sic partes versus non separantur caesura, sed continentur.

Praeterea conjunctio *„et"* potius novum membrum annectere videtur priori membro, quam nomini *„juvenem"* addere aliud nomen *„vires."* Aliter res sese haberet, si scriptum esset: *„Flebili sponsae juvenem raptum plorat viresque et animum moresque aureos educit in astra"* et q. s.

Odar. IV, 4, 25: Sensere, quid mens rite quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

Hoc quoque loco si solas metricas rationes respicimus, potius legendum esse: „*Sensere, quid mens rite, quid indoles* . . .“ quam quod Nauckius praefert: „*Sensere, quid mens, rite quid indoles* . . .,“ ex iis, quae supra disputata sunt, ultro apparet.

A sententia argumentum peti non potest, quum mihi eadem esse videatur, sive adverbium „*rite*“ cum priore membro conjungimus, sive cum posteriore, nam, ubi non legitur, supplendum est; pertinet enim ad participium „*nutrita*“ et simul cum hoc ad utrumque substantivum „*mens*“ et „*indoles.*“ An forte Nauckius censet, neque „*rite*“ neque „*nutrita*“ conjungendum esse cum nomine „*mens,*“ ita ut Horatium hanc voluisse exprimere sententiam putet: „*Sensere, quid mens (posset), quid indoles sub faustis penetralibus rite nutrita (posset), quid Augusti paternus in Nerones animus posset.*“ Cogor, ut hoc credam, alioquin enim non intelligo, quid sibi velint haec ejus verba: „*Die Interpunction ist ausserdem sinnlos.*“ Si mentem nutriri non posse censet, doceri potest a Quintiliano, qui in institut. orator. libr. II, cap. 4, §. 5 dicit: „*Quin ipsis doctoribus hoc esse curae velim, ut teneras adhuc m e n t e s more nutricum mollius a l a n t.*“ —

Consulto Horatius, qui carmina commatibus non distinxit, verba ita collocasse videtur, ut adverbium „*rite,*“ quod cum substantivo „*mens*“ conjunctum est, supplere ad ea, quae sequuntur verba „*indoles nutrita,*“ et ex his participium „*nutrita*“ ad ea, quae antecedunt „*mens rite,*“ utrumque autem conjungere cum verbis „*faustis sub penetralibus*“ cogeremur; caput enim totius strophae mihi videtur esse docere, quantum debeatur Augusto, ut ejus privigni Drusus et Tiberius tales facti sint juvenes, quales in eo quod contra Raetos et Vindelicos feliciter gesserunt bello se praestiterunt, cui sententiae nomen „*mens*“ absolute positum plane repugnaret.

Accedit quod, si post adverbium „*rite*“ interpungitur, ea forma anaphorae servatur, qua plerumque Horatium usum esse, supra jam vidimus, nam quae Horatii exempla Nauckius talis anaphorae formae affert, qualem in ejus interpunctione habemus, — od. II, 13, 28; od. IV, 6, 29; ep. I, 14, 43; ep. I, 12, 18; — omnia concidunt, quia in omnibus his locis aliter, ac ipse censet, interpungendum esse videtur.

De loco od. II, 13, 28:

. . . . „*Dura* navis,
Dura fugae mala, *dura* belli.“

supra jam vidimus, quid statuendum sit. (cf. pag. 16.)

Sequitur alter locus od. IV, 6, 29:

Spiritum Phoebus mihi Phoebus artem
Carminis nomenque dedit poetae.

Quo loco comma ponatur, utrum ante pronomen „*mihi*“ an post, si sententiam respicimus, nihil interest; sententia enim eadem est, nam „*mihi*“ et ad verba: „*Phoebus spiritum dedit,*“ et ad sequentia: „*Phoebus artem . . . . dedit,*“ pertinet. Versus autem concinnior mihi esse videtur, si commate post pronomen „*mihi*“ posito orationis distinctio non concidit cum caesura. Si autem ita, ut modo dixi, cum ceteris editoribus interpungimus, eam anaphorae formam habemus, quae contra Nauckii opinionem pugnat, atque tum locus minime idoneus est ad id demonstrandum, quod Nauckius probare studet.

Restant duo illi loci epistolarum I, 14, 43 et I, 12, 18.

I, 14, 43: Optat ephippia bos piger optat arare caballus.
I, 12, 14: . . . . quum tu . . . . :
Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures
Quae mare compescant causae, quid temperet annum,*)
Stellae sponte sua jussaeve vagentur et errent,
18: Quid premat obscurum lunae quid proferat orbem.

in quibus mihi non magis, quam in odarum locis cum Nauckio facere me posse confitendum est; in utroque loco non in loco caesurae interpungo, ut vult Nauckius, sed post eam, et quidem in priore versu in fine tertii pedis, ita ut adjectivum „*piger*“ cum substantivo „*bos*“ conjungatur, quamquam non nego, suppleri posse ad sequens substantivum „*caballus*;“ in altero autem versu: „*Quid premat obscurum lunae quid proferat orbem.*“ in arsi quarti pedis post substantivum „*lunae,*“ quod et ipsum ad sequens substantivum „*orbem*“ supplendum est.

Sic singulae versuum partes caesura bene cohaerent, et est etiam in his epistolarum locis ea forma anaphorae, cui Horatium studuisse supra demonstrare conatus sum.

In omnibus igitur iis locis, quotquot equidem repperi, in quibus Nauckius praeter alias causas etiam „flagitante caesura“ aliter atque in plerisque prioribus editionibus interpungendum esse putavit, equidem, et

*) Si hic versus a poeta scribi potuisset et scriptus esset:

„*Quae mare compescat causa quae temperet annum.*“

non dubito, quin Nauckius et hoc loco commate post vocem „causa“ deleto in caesurae loco sit interpuncturus: „*Quae mare compescat, causa quae temperet annum.*“

ut versus concinniores essent, et quia sensus mihi id postulare videbatur, ad priorem interpungendi rationem revertendum esse, quum satis jam demonstravisse mihi videar, nonnullos alios locos in examen vocabo, quorum Nauckii explicationem non esse probandam mihi persuasum est.

Ad od. IV, 2, 1: Pindarum quisquis studet aemulari,
Jule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis vitreo daturus
Nomina Ponto:

Nauckius annotat: „*Ope wird mit ceratis, (wachsgefügten) construirt und für arte genommen. Aber ope heisst nicht arte, und nicht sowohl auf die Flügel als auf den Flug kommt es an. Darum construiren wir ope Daedalea niti nach Analogie von summa ope niti: er wagt einen so verwegenen Flug wie Dädalus und wird das Schicksal des Icarus haben. Dieser hat dadurch, dass er der krystallenen Meerfluth Namen gegeben, nur die Strafe seiner Kühnheit verewigt.*“

Recte Nauckius „*ope*“ non esse idem atque „*arte*“ dicit, neque id contenderunt priores editores, alas cum corpore arte Daedali conjunctas esse interpretantes, quod et ipsum non mimus recte dictum est. Nam quae Daedalus fecit, ut alae ceratae inhaererent Icari et suo ipsius corpori, sane artificiosissima erant, et quamquam poeta hoc loco ejus laboris tantum, non artis, mentionem facit, tamen interpretantibus et cogitatione supplere et verbis quoque addere licet, multa cum arte id factum esse.

Quod Nauckius pergit: „*Nicht sowohl auf die Flügel als auf den Flug kommt es an,*“ non ab omni parte recte mihi locutus esse videtur, nam sine alis volari non potest, et si fuissent alae a natura datae, non arte affixae, certum et firmum adminiculum volandi praebuissent, neque Icarus poenas temeritatis dedisset. Hoc igitur est caput rei, quod plurimum refert, *alas fuisse non naturales, sed arte et manu hominum confectas et corpori annexas.*

Quae tum N. addit: conjungenda esse nomina „*ope Daedalea*“ cum verbo „*niti,*“ atque eodem modo accipienda, ut dicitur, „*summa ope niti,*“ me non recte intelligere confiteor.

Saepe quidem cum nomine „*ope*“ jungitur adjectivum, ut apud Sallustium Catil. 1: „*omni ope niti decet.*“, vel ut apud Ciceronem ad Attic. XIV, 14: „*omni ope atque opera niti.*“; sed hoc ita tantum fieri solet, ut haec duo nomina in unius adverbii notionem ac vim transeant,

ita ut „*summa ope niti*“ idem sit atque „*summopere, vehementer niti,*“ et „*omni opere*“ idem atque „*omnino.*“ Non igitur significatur, qua quis re nitatur, sed tantum, quomodo. Ita in hoc loco „*Daedalea ope niti*“ nihil aliud posset significare, quam, ut ita dicam, *Daedalice niti*, id est Daedali ratione ac more, quod germanice vertendum esset; „*er stützt sich dädalisch (d. h. wie Dädalus, oder mit dädalischer Anstrengung) auf wachsgefügte Schwingen,*“ tum autem quae sequuntur non bene essent addita; nam Daedalus nulli maris parti nomen dedit, quem contra incolumem aërem pervolavisse fabula narrat. Hoc loco omnino non de Daedalo, sed de Icaro, ejus filio, agitur, qui et ipse non ope Daedalea, id est Daedalice vel Daedali ratione alis ceratis nisus est, quod si fecisset, hoc volandi conatu non interiisset.

Horatius hoc loco ut in multis quoque aliis rem ipsam, ad quam illustrandam simile adhibet, cum hac imagine confundit.

Qui Pindarum studet aemulari, nulla alia re, quam suis ipsius ingenii viribus nititur, quia autem nullius et ne optimi quidem hominis vires sufficiunt ad Pindarum adaequandum, suis viribus nimis confidit et hujus temeritatis poenas solvet, ut Icarus ille, qui *ceratis ope Daedalea pennis* nimis confisus poenas dedit eas, ut in mare decidens vitam amitteret. Hoc modo nominis quidem ejus memoria servata est, sed ita, ut nominis mentio magis nimiae ejus temeritatis et audaciae quam gloriae et prudentiae nos admoneat.

Itaque sententia imagine dempta est haec: Qui suis viribus nimis confisus Pindarum studet aemulari, nititur re nequaquam firma ac certa, quo fit, ut hoc studium cum maximo periculo conjunctum sit, quum ipso sublimitatis studio periculum adducatur haud parvum, ne oratio ejus fiat turgidissima. Sic ille immortalem quidem memoriam sibi, ut Icarus, comparabit, non autem cum laude, sed cum dedecore conjunctam. Jam igitur apparet, non esse cum Nauckio hunc locum explicandum: „*er wagt einen verwegenen Flug wie Dädalus,*“ sed potius: „*wie Icarus,*“ quod si verum est, verborum illorum „*ope Daedalea*“ Nauckiana explicatio vera esse non potest.

Reliquum est, ut videamus, quomodo ipsa haec verba „*ceratis ope Daedalea nititur pennis*“ explicari debeant.

Equidem verba „*ope Daedalea*“ poetice dicta idem fere significare arbitror, atque „*opera Daedalea*“ vel „*opera Daedali,*“ id est per Daedalum.

Posset aliquis „*ope*" explicare ita, ut idem esse diceret atque „*opere.*" Quod si verum esset, illud „*ope*" appositionis loco dictum ad verba „*nititur pennis*" referendum esset, et totus locus ita construendus: „*nititur ceratis pennis, opere Daedaleo,*" vel „*quod est opus Daedali*" quam explicationem equidem haud scio an probarem, si verba aliter essent collocata ab Horatio, fere sic: „*ceratis nititur pennis, ope Daedalea.*"

Sicut autem revera collocata sunt, equidem mihi revertendum esse videri ad veterem illam interpretationem fateor, quae quum sit simplicissima, primum intuenti ultro sese offert, ut verba „*ceratis pennis*" pendere a verbo „*nititur*" putem et nomina „*ope Daedalea*" a participio „*ceratis,*" quam sententiam in oratione soluta fere sic exprimerem: „*nititur pennis a Daedalo* (vel etiam *per Daedalum*) *ceratis.*" Quid autem significent ipsa verba „*pennis ceratis,*" a vetere scholiasta recte jam indicatum est, cujus sunt verba haec: „*pennis cera conjunctis affixisque corpori.*" Quodsi autem aliquis germanice velit convertere: „*Er stützt sich auf Schwingen, welche durch Dädalus Kunst mit Wachs am Körper befestigt sind,*" equidem minime ei hoc crimini tribuam.

Post verbum „*ceratis*" est caesura versus, quae fortasse etiam hoc loco est causa, cur Nauckius verba sequentia „*ope Daedalea*" a participio „*ceratis*" separanda esse censeat. — Attamen optime fecit Horatius, quod verba sic collocavit, praesertim quum substantivum „*pennis,*" referendum ad participium „*ceratis*" in sequente demum versu legatur, et ita non solum duae ejusdem versus partes sed etiam duo illi versus sese excipientes arctissimo inter se vinculo sint copulati, quod idem in sequentibus fit versibus: . . . . *vitreo* daturus
Nomina *ponto.*

Od. IV, 2, 27: . . . . ego apis Matinae
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

Quibus in versibus quum priores editores aut omnino non interpungerent, aut commate post adjectivum „*plurimum*" posito, Nauckius, quamquam nihil hac de re dicit, eadem ut videtur lege commotus, qua

in prioribus illis locis maluit in caesurae loco interpungere, quam alio loco, nunc in fine versus post nomen „*laborem*“ comma posuit, ex quo statim apparet, eum separanda esse censere verba „*per laborem plurimum,*“ id quod in annotationibus apertissime dicit, ubi est: „*Den Zusatz plurimum kann per laborem kaum vertragen, und nemus ihn schwerlich missen.*“

Quod ad priora ejus verba attinet, quamquam libenter concedo, adjectiva raro solere addi ad substantiva ita a praepositione „*per*“ pendentia, ut totum hoc dictum in unius adverbii notionem transeat, quale est *per vim* (violenter *gewaltthätig*), *per laborem* (laboriose *mühsam*), tamen a poeta perbene dici posse contendo „*per plurimum laborem,*“ ita ut exprimatur notio adverbii „*laboriosissime,*“ praesertim quum etiam a Cicerone in oratione pro Rosc. Amer.*) dictum sit: „*per summum dedecus*“ = „*turpissime.*“ Neque minus bene adjectivum „*plurimum*“ deesse potest substantivo „*nemus*;“ nihil enim referre mihi videtur, utrum nemus illud sit magnum an parvum, dummodo tantae magnitudinis sit, ut poeta in ejus umbram se recipere ibique otium cogitandi invenire possit. Contra ea mihi hoc loco videntur „*nemus*“ et „*ripae*“ hendiadyoin quod dicitur esse, et verba „*per plurimum laborem*“ consulto a poeta ita media esse posita inter ea, quae ad apem, et ea, quae ad poetam referenda sunt, ut ad eam adducar opinionem, ut poetam illa verba referri quum ad apem tum ad poetam voluisse putem. Quam ob rem eos editores comprobo, qui in tota stropha notam distinguendi posuerunt nullam, et locum ita interpretor: Ut apis Matina per plurimum laborem grata thyma carpit, (circa montem Matinum) ita ego, qui et ipse parvus sum, per plurimum laborem in nemorosis uvidi Tiburis ripis carmina fingo operosa, id est carmina, in quibus labor in fingendo consumptus maxime conspicuus est.

Od. IV, 3, 21. Totum muneris hoc tui est,
22. Quod monstror digito praetereuntium
23. Romanae fidicen lyrae
24. Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

---

*) Cic. pr. Rosc. Am. Cap. 11, § 30: Hanc conditionem misero ferunt, ut optet, utrum malit cervices Roscio dare, an insutus in culleum *per summum dedecus* vitam amittere.

Priorum editorum plurimi colon posuerunt in fine versus 23, Nauckius cum Duentzero in fine versus 22. Equidem mallem omnino non interpungi, nisi ex nostra consuetudine ita fieri necesse esset. Totus enim versus 23 quum ad antecedentia „*Quod monstror digito*“ tum ad sequentia „*Quod spiro et placeo*“ pertinere mihi videtur. Quam ob rem commate tantum orationem distinguo in fine versus 23, sed ea ratione, ut quod sic cum antecedentibus conjungitur membrum „*Romanae fidicen lyrae*“ cogitatione in eo membro suppleatur, quod sequitur et carmen claudit. Verba enim a poeta sic media sunt posita, ut ad utrumque membrum referri possint, et quia possunt, etiam debeant.

Od. IV, 4, 13. Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit:

In Orellii editionibus et apud Doeringium in prioribus tribus versibus omnino nulla est orationis distinctio. Zeunius comma habet post participium „*intenta*,“ omnes autem omnia, quae leguntur verba inde a „*fulvae matris*“ ad leonem retulerunt, Nauckius quod sciam primus et solus comma posuit in fine secundi versus, quo fit, ut verba „*fulvae matris ab ubere*“ ad capream sint referenda.

In ejus annotationibus loci explicatio est haec: „*Matris ab ubere heisst hier nichts anderes, als Aen. VII*, 484, *ist aber ziemlich gleichbedeutend mit relicta matre IV*, 2, 54. *Die Mutter heist fulva, wie wir Rothwild sagen. Lacte* = *matris ab ubere: Das entwöhnte Reh den bereits* (*jam*) *entwöhnten Löwen. Jenes geht der Weide nach, dieser der Beute; beide treten jetzt zuerst selbstständig auf, und jenes sieht sich rettungslos verloren.*“

Cur Nauckius quam priores ingressi sunt interpretandi viam reliquerit, quum ne verbo quidem indicet, ejus causae refutari non possunt, sed tota quaestio est ea, num sententia, quae strophae sic interpunctae inest, huic loco conveniat.

Versamur in simili. Comparatur Drusus, qui tunc juvenis XXIII annorum primam expeditionem bellicam susceperat, cum leone juvenili,

qui lacte jam depulsus tunc primum praedam sectatur. Quos autem populos aggressus est, Vindelicos et Raetos, hi minime cum caprea, quae et ipsa modo ab ubere matris depulsa pascebatur, comparari poterant, quia multa jam bella gesserant et multa experti erant. Tunc quidem Romanorum impetum non timentes securi aliis rebus intenti fuerant, ut caprea illa, quae pascuis intenta impetum leonis tunc quidem non suspicata erat, sed quantum periculum sibi a leone immineret, jam saepius cognoverat. Quod nisi ita esset, Horatius non potuisset scribere: Caprea vidit leonem dente novo *peritura*, quorum verborum nulla alia potest esse significatio, nisi haec: Conspecto leone statim caprea sibi pereundum esse intellexit.

Sententia igitur requirit leonem juvenem nihil jam expertum, capream autem adultam jam multa expertam, quam ob rem verba omnia inde a „*fulvae matris*" . . . ad leonem referenda esse, et ipsis verbis „*ab ubere matris*" ejus juventutem et imprudentiam significari mihi persuasum est. Utrum commate interpungatur post participium „*intenta*," an non, nihil interest.

Verba autem „*jam lacte depulsus*," quum antea dictum esset „*ab ubere matris*," non inutilia sunt, nam nisi jam lacte depulsus esset et carne vesci jam didicisset, capreae omnino non fuisset metuendus. Non autem ex longo jam tempore lacte depulsus erat, sed postquam illo ipso tempore sugere desiit, statim ab ubere matris illam capream aggressus est, sicut erat bellum illud Vindelicum prima Drusi, ubi ex pueris excessit, bellica expeditio. Sic omnia bene sese habent, neque opus est illa conjectura, quam nuper proposuit Arnoldius*), ut pro adjectivo „*fulvae*" scriberetur „*silvae*," quoniam, quamquam etiam capreae „*fulvae*" dici possent, tamen hoc epitheton molestum et de causis pluribus a capreae matre alienum esse videretur.

Od. IV, 5, 33. Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris, et laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis:

---

*) cf. (Muetzelii) annales rei scholasticae berolinenses mens. Februar. 1863, pag. 157.

Ad hanc stropham ab Orellio annotatum est in majore editione: „*Ut Graecia memor Castoris et Herculis, eos inter deos honorat*;“ *non*: „*Ut Graecia memor miscet dis numen Castoris et Herculis.*“

Quam Orellius improbat interpretationem, eam Nauckius praefert haec annotans: „*Castoris nämlich numen laribus miscet. Macht man die Genitive von memor abhängig, so ergiebt sich für jeden, der es irgend genau nimmt, der Nonsens: Ut Graecia tuum laribus numen miscet, Castoris memor et Herculis.*“ At opinor neque Orellium in Horatii carminibus interpretandis negligentem fuisse et obiter tantum rem tetigisse, sed poetas ipsos non tanta cura et quasi calumnia contra se arbitror verba examinare et pensare, quanta apud bonos orationis solutae scriptores solet inveniri.

Aliquid semper hoc loco supplendum est, et quamquam fore video, ut Nauckio in suspicionem veniam, me non satis esse diligentem in Horatii carminibus explicandis, tamen me praeferre cum Orellio priorem illam explicationem confiteor, praesertim quum adjectivum memor non bene absolute dici possit.

Si nihil deesse volumus, scribendum fuit: „Et tui memor tuum miscet numen laribus, ut Graecia memor Castoris et Herculis eorum numina diis immiscuit.“

Si adjectivum „*memor*“ non tam arcte conjunctum esset cum genitivis „*Castoris*“ et „*Herculis,*“ Nauckio haud scio an facilius assentirer.

Unus reliquus est locus, de quo pauca dicere mihi est in animo,

Od. IV, 6, 13. Ille non inclusus equo Minervae
Sacra mentito mala feriatos
Troas et laeti Priami choreis
Falleret aulam.

Nauckius in fine primi versus commate interpunxit, itaque ostendit, se nolle genitivum „*Minervae*“ conjungere cum eo nomine, quod in initio proximi versus sequitur „*sacra,*“ sed potius cum nomine „*equo,*“

quod in eodem versu antecedit. In annotationibus legitur: „*Minervae, weil es σὺν Ἀθήνῃ (Odyss. VIII, 493) divina Palladis arte (Aen. II, 15) erbaut worden war. Tryphiodor nennt es ἱππήλατον ἔργον Ἀθήνης.* —


Quamquam equum posse nominari equum Minervae concedo, tamen non minus bene potuit Horatius eum nominare equum, qui mentitus erat esse sacra Minervae, id est, quem Achaei mentiti erant esse sacra Minervae (ἀνάθημα Ἀθήνης), welches sich (oder man) fälschlich für ein Weihgeschenk der Minerva ausgab, quod Virgilius (Aen. II, 189) dona Minervae appellat, qui in libro secundo inde a versu 158 simulavisse Graecos se hunc equum aedificasse narrat, ut Minervam propter palladium raptum iratam placarent*) et ita eam, ut sibi domum redituris esset propitia atque benigna**) permoverent. Sed quum verba „*sacra mentito*“ non bene nuda mihi videantur esse dicta, nomen „*equus*“ autem accuratioris definitionis minus indigere, equidem commate in fine versus deleto conjungere malim verba „*sacra Minervae mentito,*“ et propter sensum, et ut hi duo versus arctius cohaereant. Nam si Nauckius fine versus motus est, ut verba „*Minervae sacra*“ separaret, equidem hac ipsa re tantum abest ut quominus ea conjungam impediar ut adducar.

Sed haec hactenus. Metuo, ne jam nimis diu cogitationes Tuas ab alia aliqua re, quam Tu fortasse malis animo ac mente amplecti, detraxerim. Studui, ut quum ipsum verum in occulto lateret, quodcunque mihi quam simillimum veri visum est, sicut sentiebam, Tibi ostenderem; Tu autem scio, etiamsi Tibi ea, quae disputata sunt, minus probanda

---

*) Aen. II, 183. „Hunc pro Palladio moniti, pro numine laeso
Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.“

**) Aen. II, 15. Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas;
Votum pro reditu simulant. —



videantur, fore ut mihi des veniam munus scribendi me suscepisse reputans, et quia collegis rogantibus nolui negare, et quia animus me impulit, ut **Tibi celeberrimum hunc diem festum agenti** quum sincerissima nostra pro Tua salute vota offerrem, tum aliquo ejus eruditionis documento gratularer, cujus fundamentum maxima ex parte debere me Tibi, quem etiam multis aliis rebus optime de me esse meritum, gratissimo semper animo recordatus sum, recordor, recordabor.

Adolphus Kammrath, Dr. ph.

